



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

Anno Christi MDXXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

nam ad generalem bursam pauperum. Fundum etiam fecere in Ecclesia S. Petri ad reponendam pecuniam pro pauperibus placito tempore, & omni sabbato indigentibus distribuere, cuilibet dantes secundum descriptionem in una scheda juxta necessitatem pro tempore, etiam secundum favorem, quatuor etenim servi interdum sinistre agebant. Monasterium S. Udalrici dabat quotidie ex devotione, & non ex jure, omnibus advenientibus frustum panis in eleemosynam & omni feria secunda magnus concursus pauperum erat. Misit autem Senatus ad nos rogando, ut etiam aliquid ad bursam pauperum daremus. At nos spondimus ad placitum nostrum ex parte, vel ex toto per nos iterum revocando, 32. panes, vulgariter *Hauß-Laib*, quocumque tempore.

Anno Christi MDXXVI.

Audivi ab Abbate de Weingartten, qui etiam unus est ex Senatu procerum Ligæ, Petrum Aichelin, qui Provos Ligæ est, ipsum usque in finem anni illius 1200. Presbyteros, & Monachos, Lutheranos atque rusticos decollasse, & strangulasse; Et in omnibus finibus Ligæ Suevicæ 10000. decollatos atque suspensos fore, prout in diæta Augustensi coram proceribus Ligæ lectum fuit. Ac deinde ipse Petrus Aichelin

lin ab eisdem dominis novam potestatem atque schedulam recepit, in qua transgressorum nomina continebantur.

In die S. Afræ miserunt juniores Palatini ex Laugingen suum equitatum ad Ellwangen, qui ibidem ceperunt Plebanum, atque Doctorem prædicatorem ibidem, eosque in Dilingen Episcopo captivos præsentarunt propter Lutheranam factionem, duobus etiam Presbyteris digitos amputaverunt eadem causa, atque propter perjurium. Postquam autem Plebanus & prædicator fuerunt degradati, Plebanus pertinaciter perseveravit in sua malitia, Doctor vero prædicator devote se habuit revocans omnes errores suos, contestans se scriptis Erasmi Roterodami esse seductum. Et si Plebanus non ita proterve se habuisset, ipse Doctor dimissus fuisset. Deinde 7. die Novembris venit Petrus Aichelin, & eos decollavit. Plebanus noluit Sacramentum suscipere, itaque induratus decollatus fuit, ac in campo sepultus. Doctor vero devote se habuit, sumendo sacramentum, ac alias se christiane habendo, in cæmeterio sepultus fuit.

Ludovicus Palatinus Elector eodem tempore 17. Lutheranos Presbyteros & Monachos fecit strangulari, qui contra S. Trinitatem prædicaverant,

Feria

Feria secunda post Oculi, Prior Carmelitarum Augustæ, Doctor Theologiæ, postquam ordinem deposuit, cum paupercula juvencula, filia fricatoris, in Ecclesia sua nuptias celebravit. Factus est ex post prædicator Augustæ. Deinde omnes fratres sui ordinem deposuerunt: aliqui illorum etiam uxores acceperunt.

Feria 6. post Festum corporis Christi, Urbanus Regius quondam prædicator Cathedralis Ecclesiæ Augustæ, Laureatus poeta, & Doctor, filiusque sacerdotis, etiam nuptias cum una juvencula in Ecclesia S. Annæ celebravit. Lateraliter cum eo incedebant Udalricus Rechlinger magister civium, & Doctor *Frosch* quondam Carmelita: illum sequebantur Lucas Welfer, & Apostata Ordinis Minorum prædicator quondam. Deinde Christophorus Herwart, & Plebanus S. Udalrici &c. habuit etiam tibicines civitatis præcedentes illum: habuit enim multos honestos cives atque Doctores in suis nuptiis. Postquam Ecclesiam S. Annæ intraverunt, decantatum fuit *Te Deum Laudamus* cum organis. Hymno finito, Doctor *Frosch* brevem sermonem habuit stans in altari, in quo statum matrimonialem summe laudavit præ omnibus aliis statibus, deinde jussit eos propius ad altare accedere. Quo facto dixit ad Urbanum Regium: Reverende Domine, ac christiane frater, petitis Annam præsentem

Hist. Eccles. Tom. XXXIII. b spon-

sponsam in conjugem? date signum. Deinde dixit ad sponsam: petis reverendum dominum, ac christianum fratrem Urbanum in sponsum, ac legitimum virum? Da signum. Quæ respondit: Ita. Deinde subarrhavit sponsam. Ex post ambo sumpserunt Sacramentum sub utraque specie, & de Ecclesia iterum abierunt in domum *Wegelin*, unde exierant. Post prandium choream habuit: cui interfuerunt filix *Rechlingers*, *Herwarts*, *Welsers*, atque Doctoris *Peüttingers*. Ille Urbanus prædicator fuit eo tempore apud Minores, & pro tempore etiam ad *S. Annam Augustæ*.

Augustæ nati fuere duo pueri, vulgari-
ter *Wexel-Kinder*, ad quos, antequam nascerentur Urbanus Regius vocatus fuit, ut sub diuo in simplici aqua baptizarentur, & ecce monstra nutu Dei in lucem prodire.

M. Michael quondam coadjutor in *Straubingen* Lutheranus a duce *Wilhelmo* in *Monaco* captus, cum degradari institutum fuisset, vix fletibus ac precibus liberatus, perjurus factus, Augustam divertens, in Ecclesia Minorum prædicator effectus, contra V. Divinissimum Sacramentum prædicavit, atque annihilavit. Iste perjurus Apostata sacerdos, in die *S. Lucæ* nuptias cum Virgine juvencula filia *Oesterreichers* papyrarii Augustensis, in Ecclesia Minorum
nuptias

nuptias celebravit. Is multos homines sua falsa doctrina atque nugis seduxit, præter ceteros omnes.

Canonicus Regularis S. Crucis Augustæ, nuptias cum filia calceatoris celebravit die Joannis Baptistæ. Deinde 7. die Novembris M. Wolffgangus Sacerdos in eadem Ecclesia etiam nuptias celebravit.

Plebanus S. Crucis Augustæ, cum una ancilla, quam imprægnaverat, etiam nuptias celebravit. Qui cum a Præposito de Parochia amotus fuisset, populus ejusdem parochiæ ostiatim 50. florenos congregans, eidem Apostatæ dedit, ut eis secundum novum ritum a se in parochia introductum prædicaret.

Major pars monialium in Monasteriis Steren & Harbrug etiam cum viris publice nuptias celebravere. Monialis quoque S. Nicolai extra muros urbis, nomine Afra Seldin, cum filio Sacerdotis matrimonium contraxit Augustæ, & in Ecclesia Minorum inthronizata fuit solemnè pompa. Ursula quoque Blstetin & N. Xemin, etiam ex eodem Monasterio apostatavere, Beginæque permansere.

Illo anno nos, & etiam alia Monasteria, more consueto in die Corporis Christi & in octava, extra proprias Ecclesias nullam processionem habuimus, eoquod tam V. Sacramentum, quam ministri ejus contemptui habebantur: seditio omni momento in
sili
b 2
januis

januis erat: quæ si exorta fuisset, sine maxima effusione sanguinis nusquam sedata fuisset.

Senatus Augustensis in hoc maximam providentiam habuit, nullis expensis parcens. Nam fere per integrum annum habuerunt ad minus 400. lancearios mercede conductos, qui die noctuque vigilabant, ne aliquid oriretur in urbe, custodias observantes. In nocte omnes portas urbis omni hora, junctis etiam ex civibus aliquibus, accesserunt, seras tangentes, ne aliquorum malignitate urbs Vindelicorum in manus seditiosorum deveniret, aut aliud quid mali sentiret. Habuit nihilominus Senatus magnum numerum equitum stipendiariorum, qui in nocte per plateas urbis equitabant, scrutantes, ne insidiæ, aut conventicula à seditiosis præpararentur, quia multi Lutheranis, & seditiosis rusticis favebant. Habebat nihilominus Senatus maximum numerum equitum atque peditum apud Ligam Suevicam contra rusticos: intus erat iis pavor, ab extra timor. In his tamen omnibus nullum civium atque inhabitantium uno obolo gravavere. Quamvis illo anno maximam summam exposuerunt pecuniarum, sicuti antea nusquam comperitum fuit.

Leonardus Schregel noster parochialis celebravit nuptias in nostra Ecclesia cum
filia.

filia mercatoris Müller, apostata moniali de Mayngen.

Argentineses omnem divinum cultum deposuere, altariaque nudaverunt, partim destruxerunt, imagines extra Ecclesias projicientes, omnia Sacramenta conculcantes præter Eucharistiam. Quare tabulam ligneam in Ecclesia habuere, super quam consecrari fecerunt V. Sacramentum; solummodo duos celebrantes in tota urbe permisere, habueruntque. Ceteri Sacerdotes, qui eorum errori participare noluerunt, exilium subire coacti sunt. Argentineses vero cum animadverterent, clerum pro majori parte cum sua substantia abiisse, malignose consilium inierunt, eos revocantes, cum salvo conductu scriptis, in corpore, & rebus. Qui scriptis illorum fidem adhibentes, tres naves cum rebus domesticis onerantes, urbem Argentinam ingressi ut propria beneficia possiderent. Qui postquam urbem intravere, omnibus rebus jam adductis spoliati, in exilium a fidefragis civibus missi sunt. Postea Argentineses, sicuti a Gloriosa Virgine Maria & Sanctis Dei apostataverant, ita deinceps a Salvatore nostro Jesu Christo non credentes ipsum esse in Sacramento altaris.

Norlingense oppidum Imperiale Lutheranis factis, ac deletionem officii divini cultus, Argentinesibus civibus est æquale.

In oppido Norlingen fuit senex devotus Sacerdos, continuus in celebrando, cui præ senectute oculi caligaverant, & perspicue videre non poterat. Una die cum celebrare vellet more consueto, quidam Lutheranus civis chartam Lusoriam circulariter tanquam hostiam formarat, ministroque altaris uni scholari dedit (post pecunia corrupto) ut more consueto super patenam sacerdotis deponeret. Sacerdos autem credens azymum panem, hostiam consecravit, elevavitque. Sed cum eandem hostiam tempore debito in Missa frangere vellet, non valuit, deprehenditque chartam esse &c. Missa peracta interrogavit ministrum suum altaris, quomodo hæc res evenisset, aut a quo jussus hoc nefas perpetrasset, Scholaris diu tacuit, demum confessus est, cujus jussu hoc fecerit, nomen exprimens, a quo chartam acceperit, simul & donativum. Vir ille postea ex alia causa captus fuit, atque decollatus. Et cum ejus excessus more consueto proclamaretur, pro quo plectendus esset, de illo excessu penitus nulla mentio habita fuit timore Vulgi.

In Dinckelspül oppido imperiali similis religio christiana est in omnibus, sicuti in Nordlingen, quia solummodo 3. parva miliaria ab invicem distant.

Norimbergensis Senatus Monachos Benedictini Ordinis de Monasterio expulit, quondam in urbe illorum in honore S. Ægidii

gydii a Ducibus sueviæ fundato, bona cœnobii fisco urbis addentes. Dederunt unicuique Monacho annuatim vita comite 50. florenos. Qui autem iuvenes fuerunt, dederunt cuilibet 200. florenos una vice tantum, ut cum his aureis opus addisceret, quo se nutrire possit. Expulerunt etiam maiorem partem Mendicantium, Carmelitarum atque Carthusianorum: de ordine Prædicatorum omnes, quibus etiam una vice partem aliquam pecuniæ dederunt, usurpatis ad fiscum eorum rebus. Minores Fratres, qui id facere renuerunt, multa aduersa passi sunt. Monasteria monialium aperta sunt, eisque nubendi facultas a Senatu data fuit, quarum major pars nupsit.

Ulma oppidum Lutheranis practicis in duplum Augustenses excessit. In comparationeque illorum veluti Angeli nominandi sunt.

Gamundienses per medium annum maximam seditionem passi sunt a suis subditis, quibus etiam claves portarum fuerunt alienatæ, id procurante coadjutore divinorum socio, de Gundelfingen oriundo, qui Lutheranam doctrinam ibidem seminavit. Sed demum cum Proceres Ligæ Petro Aichelin commisissent, ut illum sacerdotem uxoratum exaltaret in arbore una, ipse avisatus clam recessit. Post fugam ipsius urbs quietavit, assistentia Ligæ, industriaque Senatus

natus in antiquam doctrinam atque ritum Ecclesiasticum iterum se transformavit.

Aliqui viri & mulieres in Provincia Abbazell & S. Galli, numero quasi 400. fecerunt se iterum baptizari. Quo facto mox ille, qui eos baptizavit, atque 4. mulieres, ratione, ac sensu privati fuerunt, nudi in campum processere. Abbas S. Galli aliquos ex his baptizatis cepit, & Senatui ejusdem oppidi præsentavit.

In provincia Abbazell 200. viri & mulieres Lutherani, omnes res suas in montes portavere, etiam nudi incedentes, ad invicemque luxuriantes frater cum sorore atque consanguinea, & e converso. Ecce fructus Evangelii istorum, sed non Christi.

Prope S. Gallum in Helvetia, fuerunt duo fratres Germani, Lutherani vero maximi, quorum unus ad alterum dixit: Frater mi, spiritus mihi dicit, ut occidam te. Cui alter respondit: ex quo voluntas Dei est, perface illud, quia ego ipsi resistere nolo: moxque genua in terram flexit. Frater ejus gladium exemit, & in instanti fratrem decollavit. Post decollationem fratris Magistrum civium adiit, eique dixit: Domine ex jussu patris mei fratrem meum decollavi. Voluntas quoque Dei est, ut & vos me decolletis. Quod factum Magister civium expavit, ipsumque in carcerem
recludi

recludi fecit, convocans assessores suos, Quo facto, data fuit, & super ipsum sententia, capiteque punitus fuit.

Communitas Alfatiaë in oppido Ensisheim, omnem Lutheranam doctrinam proprio motu a se abjecit, videns fallitatem hujus doctrinaë. Insuper in una arbore suspendi fecerunt 4. sacerdotes, sæculares aliquos decollari, aliquibus oculos erui, aut linguas abscindere fecerunt. Et fidem veram antiquam christianam iterum cum gaudio amplexi sunt.

Tali modo egit etiam D. Christophorus Fuchs in oppido Zell cum Lutheranis sacerdotibus sine degradatione. Æque modo & alii Cæsariani consiliarii in aliis oppidis in Alfatia, & juxta lacum fecere,

Marchio Badensis, qui ante annum Monachos e suis Monasteriis in principatu suo expulerat, hoc anno circa festum S. Udalrici iterum revocavit timore Cæsareo, atque persuasione Ludovici Comitis Palatini: Lutheranus enim erat,

In Marchionatu Casimiri Brandenburgensis in seditione rusticorum pæne omnia monasteria spoliata fuerunt. Quare Casimirus hos monachos ut lancearios vestivit, & pedites ex eis contra rusticos bellando fecit. Post finem belli etiam bona monasteriorum sibi usurpavit, Monachis in Laicali habitu annonam præbuit, aliqui e-

tiam in clericali habitu incedebant, quibus pro annali sustentatione aliquam pecuniam dedit. Demum eodem timore & persuasione prout Badensis Marchio, incæpit & ipse Abbates & Monachos in sua Monasteria locari atque restitui. Omnia vero clinodia omnium monasteriorum, quæ tempore belli ad Anspach erant translata, ut ibidem eis tanquam in securiori loco custodirentur, ne a rusticis diriperentur, illa omnia usque in præsens ipse Casimirus sibi reservavit, & restituere noluit.

Posteris vix erit credibile, quantas vexationes, molestias, irrisiones, opprobria, impropria die noctuque a Lutheranis passi fuimus: quando in publicum processimus simul vel divisim, seu unus solus: insuper ipsi juvenes pusilli, ut risum invitarent, ac senioribus complacerent, *Hurre, Hurre* super religiosos clamabant. Insuper scandalosas cantilenas ab eis dictatas, piis auribus offensivas, diu noctuque decantabant. Et ne in nocte a molestatione, ac infestatione abstinerent, nobis dormientibus seu in Matutinis incumbentibus divinis, lapides per fenestras, ubique in nostras habitationes projecerunt.

Habuimus autem provisorum nostræ Parochialis Ecclesiæ Joannem Schmid de Zusmerhausen, qui totus Lutheranus erat: omni die quo prædicabat per 2. annos semper famam nostram lacerabat, populumque
contra

contra nos, & in seditionem concitabat. Demum ex mandato Cæsaris, Ligæ Suevicæ, Palatinorum, ac Ducum Bavaricæ, atque Episcopi licentiatus est. Populus autem Parochiæ, viri quasi 200. numero convenerunt, atque 4. magistros Zechæ elegerunt loco omnium illorum, qui Abbatem accederent, rogarentque, quod Joannes Schmid Plebanus iterum de novo constitueretur. Quod cum Abbas id renueret, postulaverunt magnam campanam, atque domum prædicaturæ, vulgariter Grest, afferentes, ad eos pertinere. Quibus contradictum fuit per D. Abbatem & alios conventuales, & ex veritate, & fundamento locuti, & protestati sunt, asserentes se de his in judicio responsuros coram Cæsarea Majestate, aut Liga Suevica. Si autem aliquid haberent & ipsi, quod campana, & domus prædicationis ad eos pertinerent, palam ostenderent. Intendebant enim suis expensis illum Plebanum conducere in prædicatorem, si domum prædicationis obtinerent. Accesseruntque Senatam, assistentiam postulantes. Senatus vero honestissime egerunt, in nullo nos gravare volentes, talique modo res tunc temporis quievit. Construxit autem domum prædicationis propriis expensis a fundamento Abbas D. Joannes Hochensteiner ultimo anno sui regiminis. Et quod domus illa sit nostri juris, habemus in litteris a Magistris Zechæ,
quod

quod ad nos spectat, & quocunque die nobis placuerit, deponere debent horologium, quod in eadem domo stat, demonstrans solummodo horas signitas.

Similiter & magna campana ad nos spectat. Is provisor noster Joannes Schmid ex post duxit monialem ex Dilingen Augustæ in uxorem.

Hainricus Comes Palatinus Præpositus in Elwangen in eadem urbe cepit 32. Lutheranos, præcepitque lictori, ut in uno fune eos colligaret, principales in capite constituendo, in medio urbis decollaret. Cum colligati essent tali spacio, quod nullus alium tangere posset: mox primi funem solvit ac decollavit: deinde secundi atque tertii. Quo viso Canonici, oppidani, & mulieres, Misericordiam imploravere, ceterisque vita concessa est, datis fidei iuramentis, & literis, quod nunquam exin de hac doctrina verbum loqui vellent.

In die Parasceve, in villa Plinthen non procul a Höchstetten mulieres ex devotione posuere ad sepulchrum Domini hydrias sagimine cum lychno incenso. Venerunt autem 13. juvenes rustici sagimen ex ollis & hydriis auferentes, stercus proprium loco sagiminis immiserant, & iterum ad sepulchrum locaverant. Quos omnes juniores Palatini ceperunt, & in Danubio submergi præceperunt. Sed propter juventutem

tem

tém illorum Hugo Comes de Montfort pro eis intercessit, ac maximis precibus vix liberavit. Prius a lictore graviter cæsi, ac demum a propriis parentibus acriter flagellati, dimissi sunt.

Sigismundus Rex Poloniæ 40. viros Lutheranos decollavit, qui in regnum ejus advenerant, ut ibidem doctrinam Lutheranam seminarent.

Wittenbergæ vir unus dixit ad alterum virum secum convivantem, ut in nomine B. Mariæ Virginis secum biberet. At ille iratus negavit dicens: potius vellem tecum bibere in nomine 1000. Dæmonum, quam in nomine istius Virginis. Ad quod ille ait: si non vis mecum bibere in nomine B. Mariæ Virginis, bibe in nomine 1000. Dæmonum. Quo hausto, mox caput in Angulos habitationis cæpit allidere, atque furere. Deinde extra urbem egressus, in parvo flumine se submersit.

Augustæ in die Corporis Christi a Canonicis cathedralis Ecclesiæ cum Sacramento Evcharistiæ habita fuit processio more consueto. In qua processione etiam Proceres Ligæ Suevicæ interfuerunt. Inter alias autem foeminas una accenso cereo subsecuta est. Ad quam in colle Perlach unus textor accessit, & candelam in manu devotæ foeminæ extinxit. At mulier extinctam candelam in terram submitit, & vi-
rum

rum illum invasit, ac suis pedibus substravit, atque in terram caput ejus ita allisit, quod ipsum totum in sanguine suo conspersum, & laceratum, cum confusione atque ignominia surgere & abire permisit.

Ad festum S. Erasmi omnes Canonici B. Mariæ convenire solent: advenit etiam D. Sigismundus Comes de Hohenloch Decanus Argentinensis majoris Ecclesiæ, eo quod etiam Canonicus Augustensis capituli fuit. Quem Decanus consensu & jussu capituli prohibuit ab ingressu Capituli atque conclavi illorum, ea de causa, quod Lutheranus fuit: nullusque illum allocutus fuit, nisi Conradus Adelman.

Cum pestifera doctrina Lutherana in Helvetia per Oecolampadium, & Udalricum Zwinglium Apostatam atque illorum adhærentes inficeretur, proceres, magnates, atque regentes 12. civitatum, partium atque provinciarum ejusdem gentis oratores suos ad Lucernam miserunt, ut de republica christiana consultarent, ut eliminatis erroribus in vera fide juxta antiquum laudabilem ritum pacifice perseverare possent. Consilio autem præmature habito, concluso atque inuito, decreverunt doctorum virorum disputationem audire in conspectu falsorum prædicatorum, ut doctrinis doctorum virorum, plebs communis eorum subditi, eo levius iterum ad tramitem veritatis reducerentur.

Non

Non multo post media pars urbis Basileæ in minori civitate, in qua Lutherana factio viguit, in cinerem redacta est, & multi homines quoque. Et in domo Lutheranae foeminae initium habuit, quæ enixa puerum peperit, & nolebat, ut christiano ritu baptizaretur. Quare ictu fulminis puer cum matre extincti, ignis vicinas domos invasit, ac demum turrim ubi pulveres bombardarum, invasit, & incendium ita auxit. Exin Basileam pestis invasit, ubi a Senatu Fratibus Minoribus omnibus expullis, ex Monasterio domum infirmorum fecerunt, qui peste infecti erant.

Norimbergensis Senatus itidem omnibus divinis officiis in cantando, horis Canonicis, & Missis atque dicendo finem imposuere. Monachos ex urbe expulerunt præter duodecim Fratres minores, quos in suo monasterio stare permiserunt, ita tamen, quod nec Missas celebrent, neque horas cantando aut legendo persolvant. Moniales etiam de Monasteriis exire coegerunt, quæ antea sub arctissima clausura fuerunt. Quarum aliquæ ex eis matrimonio viris se junxerunt. Quinque ex eis Norimbergæ lupanar intravere, ubi a Senatu permissæ sunt stare veneri serviendo, quas antea dedignati sunt ipsi cives, ut Deo caste atque devote fervirent. Ex monasterio S. Claræ sex viri ex primoribus urbis, sex naturales filias vi, & pugnis extraxerunt

runt contra voluntatem filiarum cum maximo ejulatu & clamore: taliter etiam fecerunt in aliis monasteriis. His monialibus, quæ apud S. Claram permanserunt, Senatus non admisit usque in præsens ultra anni spatium, ut eis Sacramenta ministrarentur, seu earum confessiones audiantur. In Monasterio quoque Minorum non permittunt, ut campana pulsetur, eo quod omnem cultum ibidem prohibuerint. Solummodo pravas & hæreticas doctrinas ac prædicatores fovent, amant, atque admittunt. Evanuere in cogitationibus suis.

Ulmenses ordinaverunt ante tres annos quemdam hortum extra urbem non consecratum in cœmeterium mortuorum pro his, qui in Lutherana hæresi sine Sacramentis Ecclesiasticis decedunt. Sepulchra autem illorum Lutheranorum, quæ ante unum vel tres annos facta fuere, ita sunt, ac si fossæ (sine gramine) ante unum diem factæ fuissent, nullum signum viriditatis præseserentes, cum alias in illo horto gramina in magna abundantia crescant, prout duo honesti cives Ulmenses retulere. Deinde vero per successum temporis in dies in hæresim Lutheranam magis ac magis incidere. Frâtres etiam Minores præter 12. Frâtres ab urbe expulerunt: & his qui permansere, inhibuerunt, ne ulterius in urbe ad mendicatum irent: permiserant tamen illis,

illis, ut legendo, cantando, prædicando divina officia modo antiquo peragerent.

Sigismundus Rex Poloniæ in urbe *Danzig* in vinculis coniecit duos Magistros civium, & 236. cives, qui cum illis etiam in novo Senatu fuere. Ex his 45. morte puniti propter Lutheranam hæresim seditionemque in Clerum atque Religiosos.

Feria 4. ante festum corporis Christi coacti sunt sub pœna capitis, & amissione omnium rerum temporalium magnas candelas inquirere, & in unum congregare, atque in die corporis Christi more antiquo in processione portare. Altaria denudata iterum cum suis pannis tecta, & ornata fuerunt. Et more antiquo officia Missarum legendo atque cantando in *Danzig* peraguntur. Nullus etiam Lutheranus prædicator permissus fuit in urbe. Rex Poloniæ novem prædicatores ex Lutherana hæresi captivavit, & ferreis catenis ligatos in munitissimam arcem *Therm* inclusit.

Omnes etiam presbyteros & monachos uxoratos cepit, & immisericorditer castigavit.

Rex iterum Benedictini Ordinis monachos, atque mendicantes ad monasteria sua locavit. Qui Deo serviunt, ut antea fecerant. Sub pœna etiam capitis, & amissione omnium rerum temporalium Clericis atque Religiosis cives ablata restituere jussi

Hist. Eccles. Tom. XXXIII.

c

sunt,

funt, censusque perfolvi tam perceptos per tres annos, quam præsentis sine diminutione: inhibuit etiam, ne secundum translationem Lutheri pfallatur, vel cantetur. Laici qui domos Sacerdotum ad possidendum invaserunt, iterum eis absque damno sacerdotum, calices etiam omnes, & Monstrantias, atque alia ornamenta Ecclesiæ, quæ abstulerant, restituere coacti sunt. Et insuper sine omni misericordia puniti sunt.

Rex Poloniæ equites ordinavit, qui ab extra civitatis in illa provincia Lutheranos prædicatores capiant, vincetosque 16. in una die in urbem adduxerunt: sine misericordia incarcerati, postea puniti sunt cum aliis, quos postea ceperunt. Similiter Episcopus ejusdem loci etiam 30. equites extra urbem misit ad investigandum Sacerdotes uxoratos. Et in una die 12. sunt adducti, & incarcerati absque misericordia, qui etiam digna pœna puniti sunt. Ultra 50. etiam in exilium relegati, una cum multis civibus auctoritate regia & Episcopali.

Conradus de Riedthaim nobilis convocavit suos rusticos ultra 1000. ad combustam arcem *Angelberg*, & ad invicem dixerunt: ex quo nostrum tam multi sunt, Dominus noster non audet nos cum digito fricare vel attrectare, erat autem in saltu magnis equitatus, ipsis rusticis ignorantibus; una cum Petro Aichelin, qui secum habe-

habebat lictorem de Burgou. Hi omnes ex nemore egredientes, *Angelberg* in modum coronæ circumdederunt, quod nullus rusticus evadere potuit. Exin Petrus Aichelin cuneum rusticorum accessit, & multos ex eis, qui in seditione atque incineratione arcis capitanei fuere, & in instanti 6. decollari fecit. Aliquibus etiam linguas præscidit, aliquibus oculos eruit, & multis aliis pœnis afflixit. Aliqui precum intuitu dimissi sunt.

In die S. Eustachii Augustæ Sutor nomine *Lang* domum habens in platea, vulgariter *Ferchermarckt*, a diabolo in alba linea veste, rubrum piretum habente in capite hora quarta versus auroram fuscitatus est his verbis vicinis audientibus, & videntibus: Veni: nam nunc tempus adest. Sutor hæc audiens, sudore frigido perfusus januas aperiri prohibuit. Deinde hora quinta secundarie a diabolo vocatus, vilioribus vestimentis, quas domi habuerat, indutus, diabolum in specie hominis adiit, ex platea domus suæ simul gradientes, ex post nusquam comparuit. Quæsitus fuit a duobus fratribus suis, & aliis amicis atque futuribus, sed non fuit inventus.

Augustæ hæresiarchæ M. Michaeli in Martini die apparuit, ipsum apprehendere & abducere nitens. Qua etiam re postea ad 2. menses lethaliter decubuit. Id postea bis terque actitatum est, ubi longio-

rem infirmitatem contraxit. Sed illa infirmitate in anima & mente non sanatus, seu ad pœnitentiam revocatus, sed induratus, pejor effectus, cum paulisper vires accepisset, cum antea sua prædicatione omnia opera bona, Sanctos Dei, atque immaculatam Genetricem Dei Virginem Mariam, & omnia Sacramenta abjecisset, prohibuissetque, ad majorem suam obstinationem, & duritiam V. Sacramentum Evcharistiæ annihilavit, atque abjecit, dicens: non esse verum corpus Christi post consecrationem, sed purum panem; stultum fore credendum, quod Deus permittat includi in domunculam stultorum; homines usque in præsens esse deceptos cum Missis, & Sacramento Evcharistiæ. Potius quis interficere debeat tres aut quatuor homines, quam unam Missam audire, vel credere Sacramentum Evcharistiæ in altari esse, ac sumere. Idem quoque hæretici prædicatores apud S. Crucem, & S. Georgium prædicavere. Qua ex re non multi utriusque sexus eis fidem præbuere, deinceps V. Sacramento Evcharistiæ nullam reverentiam exhibuerunt, & in majorem irreverentiam, quando perspexere, quod in platea ad infirmum portaretur, subsannantes posteriora in derisum verterunt.

Christophorus Hérwardt, Augustæ hospitalis S. Jacobi administrator, vulgariter Pæger, fundatas Missas & anniversaria in
eadem

eadem Ecclesia abrogavit, & aliquot hæreticos articulos capitulo Cathedrali transmissit, ad quos etiam ipsi responsum est, & ii articuli doctissime refutati sunt.

Turicenses ex Monasterio Einsidelen Monachos omnes expulerunt Ordinis S. Benedicti, & redditus ejusdem cœnobii sibi adscripserunt, atque Abbati nobili viro de Gerolshausen, 600. florenos loco precariæ vita Comite constituere.

Anno Christi MDXXVII.

Rustici Babenbergenses 300. in mense Januario conspiracyterum iterum rebellandi fecerunt, qui omnes occisi sunt ab equitatu Ligæ 400. etenim equites conduxerunt per totum annum, ut circumirent terminos ejus.

Rusticus unus lanceam portans non procul a nigra silva, qui obviavit cuidam equiti, qui secum unum viatorem habuit. Is rusticus 9. Epistolas portavit ad conciliandum iterum rusticos more antiquo ad seditionem & fraternitatem instinctu 12. Presbyterorum. Eques autem, rusticum salutans quæsit, quo tenderet? qui ei proterve respondit, & mox equum ejus lancea perfodit. Eques hoc viso, conviatoris sui auxilium invocavit, qui parvam lanceam veluti sagittam jaciens rusticum peremit. Rustico autem perempto epistolas